

sentis sive futuras : scilicet fieri poterit ut non statim clare cognitum sit, quis heres sit, quia expectandae variae conditiones futurae, sed non propterea objective indeterminatus est heres, nam ille est heres qui conditionibus satisfacet; neque objective heres incipiet esse rerum dominus quando agnosceretur, sed est rerum dominus a momento ultimo vitae prioris domini, eique gestionis rerum ab eo instante reddenda est ratio ab iis qui suspensam testamenti executionem gerebant.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non a sola lege civili*). Nulla lex civilis est universalis, omnibus gentibus et temporibus communis; *a.* jus testandi apud omnes gentes, et omni tempore agnoscitur; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*non a sola consuetudine universali*). Haec ipsa consuetudo universim inducta fuit, aut casu sine rationabili causa, aut per factum aliquod historicum, conventionem, praedicationem, aut sponte propter ipsam naturalem inclinationem conscientiae humanae; — *a.* nec 1<sup>m</sup>; nec 2<sup>m</sup>; sed 3<sup>m</sup> quod ipsum est signum legis naturalis, causae impellentis ad hoc jus agnoscendum; *e.* non consuetudo sola ut sic.

*Ad min.* 1) Casu fieri tantam concordiam nemo dicit.

*Ad min.* 2) Talis facti historici nullum apparet vestigium, et gratis affirmaretur.

*Ad min.* 3) Tanta concordiae in tantis reliquis dissimilitudinibus adjunctorum, non alia causa assignari potest nisi ipsa naturae lex et necessitas pro ordine servando et pace; *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*sed a jure naturali*). Homo potest de rebus suis disponere, etiam ita ut ea certis quibusdam conditionibus, certo quodam tempore aliis tradat, praesertim si iste modus tradendi sit necessarius ad ordinem et pacem inter homines, et ad securitatem propriam; — *a.* talis dispositio aliqua bonorum est testamentum; *e.*

*Ad min. 1 part.* (*tradit certis conditionibus et tempore*). Haec ipse tenor testamenti exprimit.

*Ad min. 2 part.* (*modus necessarius ad pacem et securitatem*). Iste modus in eo est situs, quod maneant variae determinationes ignotae aliis donec vivet donator; et quod executioni deter traditio solum post mortem ejus; — *a.* si haec non licerent, a) discordiae et irae ac insidiae inter varios heredes et exheredatos, b) vehemens impatientia fruendi apud heredes, et insidiae contra nondum mortuum, c) vel imo spoliatio adhuc viventis, etc...; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo auctoritas civilis non potest infringere vim testamentorum; — potest tamen formalitates praescribere, ut possint jura protegendo agnosci.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo etiam testamentum informe, modo absit fraus, per se valet, sed non tenetur auctoritas civilis illud protegere; et, si oritur lis, sententiae tribunalis standum erit, nisi haec sit evidenter injusta.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo socialis auctoritas jure ut irrita habet testamenta quae verterent contra jus aliorum, v. c. creditorum.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Mortuus jam non potest de rebus disponere; *e.* nec testari moriturus. — *R. d. ant.* disponere post mortem non potest, *c*; disponere ita ante mortem, ut effectus existat ultimo vitae momento et appareat solum post mortem, *n.*

**Objic. 2<sup>o</sup>** Si testamentum jure naturae valeret, non posset mutari; *a.* potest semper mutari ante mortem; *e.* — *R. d. maj.* si valeret ut dispositio jam perfecta, *c*; ut perficienda, *n.* — *d. min.* quia erat dispositio perficienda, quod non fit ubi mutatur, *c*; secus, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Ex omnium opinione, et ex ipsis verbis testamenti, apparet hominem disponere de rebus post suam mortem; *a.* tunc jam disponit de rebus non suis; *e.* — *R. d. maj.* ex opinione, si ad strictam verborum significationem attendere vellent, *c*; si modo latiori et minus proprie loquendi utuntur, ut expriment potius externam effectuum apparentiam, *n.* — *c. d. min.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Ex data explicatione sequeretur dispositionem fuisse factam non in momento ante mortem, sed potius illo tempore quo testamentum conscribatur; *a.* hoc nemo admittet; *e.* — *R. d. maj.* factam, i. e. actu perfectam traditionem domini, *n*; notatam voluntatem perficiendi donationem, *sd.* voluntatem jam immutabilem, *n*; semper revocabilem quamdiu quis dominus rerum suarum est, actionumque suarum liberum imperium exercet, *c.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Donatio non perficitur a solo donatore, sed necessario requiritur acceptatio alterius; *a.* haec nequit intervenire nisi post mortem testantis; *e.* nec perfecta donatio et domini translatio. — *R. d. maj.* non perficitur quoad plenum effectum, *c*; non perficitur quoad totum quod a donante fieri debet, *sd.* quoties nihil aliunde obstat, *c*; si gravis causa adest (cfr. argum. supra) ut acceptatio rationabiliter praesumatur, *n.*

**Objic. 6<sup>o</sup>** Multa sunt testamenta quibus donationis data explicatio applicari non potest; *a.* haec sunt tamen valida et explicantur apte per consuetudinem universalem vel per leges civiles; *e.* — *ad maj. v. c.* testamenta *disjunctiva* (relinquo mea bona Caio, vel hoc non acceptante, Julio), — vel testamenta *suspensiva* (do bonorum meorum administrationem Caio, donec Julius 21 annorum aetatem attingat, qui tunc eorum sit dominus), — vel *suspensiva et conditionata* (do mea Petro hac conditione ut eorum proprietate incipiat frui cum erit annorum 30, si tunc fuerit matrimonio junctus; interim ea administrabit Paulus), vel *successiva* (do mea Petro, et post 10 annos Paulo, dein Joanni).

*R. d. maj.* quibus non possit, *n*; quibus minus facile possit, et propterea admittimus aliquem influxum consuetudinis jus testandi extendentis et determinantis, *e.* — *ad min. 1 part.* sunt valida, *c*; — *ad 2 part. d.* explicantur unice per..., *n*; praecipue per jus naturale proprietatis, accedente aliqua extensione congrua ex consuetudine, *c.*

**Objic. 7<sup>o</sup>** Ex datis responsionibus sequitur, lege civili posse aliquas testamentorum clausulas pro irritis haberi: scilicet consuetudo aliqua potest

aboleri... R. d. ass. sequitur jus testandi posse aboleri vel mutari, *n*; restringi posse latitudinem clausularum, multitudinem conditionum, in testamentis complexis, *c*.

**Schol. 1<sup>m</sup>** Quomodo concilianda haec propositio cum praecedente. — R. Pater suae obligationi satisfacit si familiae bonum sufficienter procuraverit; de superfluo disponat pro lubitu; si nihil testatur, praesumitur ejus voluntas pro familia.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Utrum parentes possint unum ex filiis exheredare. — R. 1) Si filius ita se gerat ut vere mereatur ex societate familiari excludi, potest pater ut verus societatis superior excludere eum, unde et exheredare; — 2) inique et perniciose talem exclusionem nostrae leges civiles hodie impediunt, unde sublata sanctione, magna sequitur ordinis et auctoritatis paternae jactura; — 3) nec timendi sunt abusus (possibiles quidem sed duce naturali parentum affectione rarissimi) quibus pater injuste et in malum familiae propriae ageret.

#### QUAESTIO 6.

De juribus et officiis erga alios quoad fidem datam servandam.

#### Propositio 109.

**Lege naturali illicitum est fidem datam frangere.**

**Notiones.** 1) *Fides* seu *fidelitas*, est veracitas in factis promissis implendis, seu in exsequendis iis quae promissa sunt.

2) *Promissio* est seria voluntas aliquid alteri praestandi, ei expressa, et ab eo (saltem tacite) acceptata.

3) *Promissio* est aut *gratuita* aut *onerosa*, prout aut sine conditione fit, aut ea conditione ut alter onus aliquid suscipiat, vel aliquid in favorem promittentis faciat.

4) *Omni* promissioni subest tacita conditio, nullam obligationem altiorem obstare, et nullum damnum vel impedimentum improvisum promittentis oriturum; quae si intervenerint nullam fore promissionem.

**Prob.** Per infidelitatem aut alteri damnum infertur, aut non; *a*. in utroque casu infidelitas est intrinsece mala, licet diverso gradu; *e*.

**Prob. min. 1 part. (si damnum).** Intrinsece malum est alii arbitrarie sine ratione sufficiente nocere (cfr. prop. 82); *a*. in infidelitate supponitur actio arbitraria et sine ratione proportionata; *e*.

**Prob. 2 part. (si nullum damnum).** Difforme est a natura rationali qua tali, voluntatem serio expressam, quae proinde seriis motivis debuit niti, temere et sine ratione proportionata mutare in oppositam, et aliis incommoda et tristitiam afferre; *a*. id agit qui datam fidem frangit, etiamsi nullum aliud damnum aliis infert; *e*.

#### Propositio 110.

**Contractus est vere titulus jurium et officiorum, tum quoad proprietatem bonorum materialium, tum quoad alia.**

**Notiones.** 1) *Contractus* est mutua expressio efficacis consensus conferendi et acceptandi aliquid jus. — Dicitur: *a*) *expressio*, i. e. signum aliquod externum, quo uterque paciscens alterius voluntatem cognoscat; — *b*) *expressio consensus*, quae consensum internum serium supponit, et quidem ita ut si dolo vel malitia ille deficiat, ejus tamen expressio perinde effectum (obligationem mutuam) producat, ac si vere adesset; — *c*) *consensus efficacis*, i. e. actus voluntatis quo jus ab altero tribuitur, ab altero acceptatur; — *d*) *conferendi et accipiendi*, ita ut vera oriatur obligatio jus alteri collatum agnoscendi ac pro inviolabili habendi; qui vero illud violet, fidem frangat.

2) Minus apte idem dicere intendunt aliae definitiones, v. c. *a*) «*expressus consensus duarum vel plurium voluntatum in idem placitum*,» nam possent convenire plures voluntates in idem opus faciendum, in eadem disciplinam docendam, etc; *a*. nullus tamen esset contractus dicendus; — *b*) vel: «*ultra citroque obligatio*,» nam plures passim dantur obligationes mutuae, jura et officia mutua, ex aliis titulis quam contractibus; neque omnes contractus faciunt semper obligationem mutuam; — *c*) vel: «*promissio acceptata*,» nam sic non omnes contractus includuntur, sed aliqui tantum ex quibus obligatio non mutua oritur.

3) In hoc differt contractus a simplici promissione (etiam acceptata), quod haec obligationem fidelitatis, ille justitiae infert.

4) Distinguuntur saepe *contractus proprie dictus seu verus*, ex consensu mutuo explicito; et *contractus improprie dictus seu quasi contractus*, ex consensu alterius implicito, vel merito praesumpto.

5) Dividuntur contractus:

onerosus	— — —	(bilateralis, synallagmaticus) qui obligationem utrimque constituunt, scilicet : do, vel facio, ut des, vel facias.
alienatio	— — —	quo bonorum proprietas alii traditur.
permutatio	— —	si mutatur res cum re.
emptio et venditio,	— —	si mutatur res cum pecunia.
mutuum	— —	si mutatur res usu consumptibilis in praesenti data, cum alia ejusdem valoris et speciei in futuro reddenda.
locatio	— — —	quo bonorum non proprietas sed usus alii traditur.
conductio	— —	si mutatur usus rei cum pecunia.
servitium	— —	si mutatur certa aliqua opera pro pecunia (pretio).
famulatus	— —	si incertae operae omnes per aliquod certum tempus pro pecunia.
cautio	— — —	quo securitas alterius contractus obtineatur.
pignus	— — —	si pro ea datur aliquod bonum mobile, post executionem prioris contractus reddendum.
hypotheca	— —	si datur jus ad aliquod bonum immobile occupandum nisi prior contractus executioni detur.
fideijussio	— —	si tertius promittit se debitum solvere nisi prior ipse solvat.
gratuitus	— — —	(unilateralis, inaequalis) qui obligationem unilateralem tantum contrahentium imponit.
donatio	— — —	si rei proprietas gratuito alteri ceditur.
inter vivos	— —	si res data acceptatur et traditur vivo donatore.
mortis causa	— —	si res data acceptatur vivo donatore, tradenda tamen post ejus mortem.
commodatio	— —	si non rei proprietas sed usus alteri ad tempus ceditur.
depositum	— — —	si praestatur servitus aliqua materialis, nempe conservandi rem materialem secure restituendam.
mandatum	— — —	si praestatur servitus intellectualis, nempe negotium nomine alterius geritur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*quoad proprietatem*). In jure naturali proprietatis et libertatis personalis includitur : 1) jus bonis propriis renuntiandi quocumque honesto modo nullum alienum offenditur jus, et proinde in favorem alius personae determinatae et sub determinatis conditionibus ; — 2) vicissim jus

bona sic relicta acceptandi ; — *a.* talis renuntiatio et acceptatio est contractus ; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*quoad alia*). In jure libertatis personalis non minus continentur alia bona, quam proprietas ipsa ; iisque eodem modo uti et disponere homo potest ; *a.* jus proprietatis potest per mutuum consensum, scilicet traditionem et acceptationem, ab uno ad alium transire ; *e.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo nihil obstat quominus etiam simplex *promissio*, si fiat cum voluntate etiam jus ad rem promissam conferendi, et ita acceptetur, revera fiat *contractus*, non jam officium *fidelitatis* inferens sed vere officium *justitiae*. Atque ita saepe dividuntur contractus in *executivos*, qui praesentem paciscentium praestationem, et *promissorios*, qui futuram respiciunt.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo potest esse contractus *absolutus*, qui a nulla conditione dependere constituatur ; vel *hypotheticus* qui ab aliqua sive affirmativa sive negativa conditione dependere debeat ; idque sive *conditio sit suspensiva*, i. e. a qua inchoanda sit obligatio contractu assumpta, sive *conditio resolutive*, i. e. postquam non amplius duret obligatio.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo etiam distingui potest contractus *principalis* seu independens ab alio contractu ; et contractus *accessorius* seu *relativus*, qui non solus existere possit sed tanquam alterius complementum.

#### Propositio 111.

**Ad valorem contractus requiritur materiae possibilitas et honestas, contrahentium cognitio sufficiens circa contractus substantialia, sufficiens libertas, et mutuus consensus.**

**Notiones.** 1) *Materiae*, i. e. : rei circa quam fit contractus.

*Possibilitas*, tum physica tum moralis.

2) *Substantialia contractus*, i. e. : a) ipsa substantia rei de qua fit contractus, v. c. de gemma, non vitro ; — b) natura contractus quem quis inire intendat, v. c. conductionem, non commodationem ; — c) motivum principale contractus, v. c. cum Caio, quia consanguineus est, non, si alienus esset.

3) *Accidentalia contractus* sunt accidentalia rei, vel naturae et motivi contractus, v. c. tanti valeat res, non plaris.

4) *Sufficiens libertas*, i. e. : a) sine vi injuste illata ad extorquendum consensum, — b) cum usu expedito facultatum, sine ebrietate, amentia, pueritia, — c) sine privatione morali habilitatis ad contrahendum, lege positiva, v. c. in pupillo.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*possibilitas et honestas*). Ex contractu valido oritur vera obligatio justitiae ; *a.* a) ad impossibile nemo teneri potest ; — b) ad intrinsece malum nulla oriri potest obligatio ; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*cognitio sufficiens*). Contractus essentialiter est plurium consensus mutuo conferendi et acceptandi idem jus ; *a.* ubi non sufficiens est cognitio superius descripta, consensus contrahentium non fertur in idem jus

accipiendum et tradendum, vel saltem non sub eadem essentiali formalitate (in motivo); *e.*

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*sufficiens libertas*). Jus quod aliquis per contractum alteri cedat, si verum erat jus, debuit esse potestas moralis inviolabilis independenter de aliqua re disponendi pro lubitu honesto; *a.* in contractu sine libertate sufficiente, disponderet contrahens de re sua, non independenter, non pro lubitu honesto, sed pro vi vel inductione dolosa, dependenter a violatione suae potestatis moralis; *e.* aut tale jus non habuit, aut nequit dici illud alteri cedere et novam obligationem in se assumere.

**Prob. 4<sup>a</sup> pars** (*mutuus consensus*). Ut nova exurgat relatio juris et officii, debet uterque terminus relationis existere; *a.* in contractu termini relationis sunt contrahentium voluntates; *e.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Quaeritur de valore contractus, *deficiente cognitione* circa ejusdem *accidentalium*. — R. 1) Per se est validus, at a) vel rescindi potest, i. e. tenetur decipiens observare, potest deceptus sive per se invalidare sive per iudices invalidationem obtinere, si ipse error circa accidentalium causam contractui dedit (dummodo tamen natura suae materiae contractus sit rescindibilis, et fuerit fraus alterius causa erroris); — vel b) saltem, si error causa contrahendi non fuit, tenetur deceptor percepta emolumenta restituere, licet contractus rescindi nequeat. — 2) Per accidens est invalidus, quando accidentalium rei qualitas in contractum inducta est ut conditio; tunc enim contractus est hypotheticus, et error fuit circa aliquid substantiale huic contractui. — *N. B.* Eadem doctrinam alii aliis verbis efferunt, apparenter tantum contradicentes.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Quaeritur de valore contractus si *libertati plenae* obfuerit *metus*. — R. 1) *Metus ab intrinseco*, i. e. metus mali per se connexi cum omissione contractus, seu mali quod oriatur ex ipsa omissione per se sumpta: nunquam reddit contractum invalidum; nam secus ille contractus esset de se impossibilis. — 2) *Metus ab extrinseco*, i. e. metus mali per accidens connexi cum omissione, nempe quia causa aliqua libera hoc malum minatur, ut ad contractum inducat; si fuerit a) gravis metus, b) injuste illatus: jure naturali invalidum facit contractum; *nam*: qui injusto medio (metu injusto) utitur ad aliquid ab alio extorquendum, nullum per id acquirit jus illum ad hanc rem adigendi (imo etiamsi rem concupitam jam obtinuerit, lege naturali tenetur eam restituere); *a.* nulli juri unius correspondet obligatio nulla in altero; *e.*

#### Propositio 112.

Ad cessationem contractus requiritur aptitudo materiae, et sufficit vel materiae mutatio, vel infidelitas alterius contrahentium, vel mutua utriusque retractatio, vel supremae auctoritatis interventio.

**Notiones.** 1) *Cessare* dicitur contractus quum mutua concessio jurium jam nullius valoris esse incipit, sed omnia in eo statu restituuntur quo antea erant.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*aptitudo materiae*). Aliqui contractus sunt circa talem materiam ut ea ex sua natura non sit apta restitui in statum juridicum primum; v. c. materia matrimonii christiani, vel materia quae usu fuit consumpta; *a.* tales contractus nequeunt cessare; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*materiae mutatio*). Sicut ad valorem contractus requiritur materiae possibilitas et honestas, ita si quocumque modo post initum contractum fiat ejus materia impossibilis vel inhonesta, non amplius valere potest ipse contractus, sed cessat propter hanc materiae mutationem.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars** (*infidelitas alterius*). Qui ipse fidem servare recusat injuriamque alteri infert, jus nequit habere ut *in eadem re* sibi fides ab altero servetur, qui ita per ipsam suam fidelitatem ad suum damnum injustum concurrere teneretur; *e.* *fidem frangenti fides frangatur eidem!*

**Prob. 4<sup>a</sup> pars** (*mutua retractatio*). Sicut sibi mutuo contrahentes jura concedere potuerunt, ita retractantes eadem jura sibi retrocedere mutuo possunt.

**Prob. 5<sup>a</sup> pars** (*auctoritatis interventio*). Propter bonum commune, cui in conflictu cedere debet bonum privatum, potest in societate organisata, auctoritas jura inferiorum restringere, actus irritos facere.

#### Propositio 113.

**Ex mutuo lucrum percipere per se non licet, per accidens licere potest.**

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*per se non licet*). Contractus justus non est nisi sit aequalitas rei datae et rei acceptae; *a.* mutuum est contractus in quo res usu consumenda datur, et alia ejusdem speciei accipitur postea; *e.*

*Ad maj.* Aequales fecit natura homines; *a.* haec aequalitas perit si non tantum (saltem moraliter) quantum acceptum est, reddi debet, sed aut plus aut minus; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*per accidens licet*). In omni contractu aequalitas servanda est; *a.* si in mutuo sit aut lucrum cessans, aut damnum emergens, aut periculum sortis amittendae, tollitur aequalitas quoties ratione et proportione harum causarum compensatio aliqua mutuatori non datur; *e.*

**Schol.** Haec de mutuo rerum qualiumcumque consumptibilium dicta sunt. Sed specialius de cessione pecuniae disputatur: et a) alii dicunt pecuniam esse rem ex natura sua infructuosam et usu consumptibilem; cui proinde sit applicanda propositio nostra; si contra fiat, usuram fore, intrinsicè malum; sed addunt alium titulum extrinsecum accidentalem posse legitime admitti propter bonum commune et negotiorum facilitatem, scilicet permissionem legis civilis; — b) alii dicunt pecuniam non esse ex se improproductivam, et tantum ex industria utentis fructuosam, sed eam esse mercem quamdam, sicut aliae sunt; nec natura sua usu consumptibilem, sed instrumentum lucri; imo alii concludunt praestationem pecuniae non tam mutuum debere dici, quam potius locationem seu conductionem, quasi merx

aliqua usu tradatur, reddenda postea cum pretio aliquo; — c) usum mutui qualis hodie viget, Ecclesia olim ut usuram plane damnabat, nunc tacita tolerat.

**Objic. 1°** Res intrinsece mala nunquam fieri potest bona; a. usura est intrinsece mala; e. — R. c. maj. — d. min. si plus exigitur ratione mutui, c; si ratione extrinseca, n.

**Objic. 2°** Lex naturalis est immutabilis; a. usura erat olim ex lege naturali illicita; e. — R. c. maj. — d. min. usura ratione mutui, c; rationibus extrinsecis (accidentalibus), sd. quia istae adjunctorum rationes non existebant, c; secus, n.

**Objic. 3°** Non licet pauperes ultra opprimere; a. ad hoc tendit taxa legalis moderna; e. — R. c. maj. — d. min. si per fraudem applicatur, vel si ipsa lex est male confecta, c; secus, n. (non licet a paupere pro parva pecunia, cujus restitutio certa est, lucrum capere).

**Objic. 4°** Ecclesiae leges non approbant. — R. Sed hodie, propter mutata adjuncta externa, non vetant, dummodo parati simus ejus decisioni, si quando definiendum judicaverit, stare.

## PARS TERTIA.

### DE ACTU HUMANO SOCIALI.

De sociali humana natura et ordinatione plura capita sunt tractanda. Est enim initio generice ipsa societatis notio evolvenda et humanae naturae inclinatio ac necessitas societatis stabilienda; dein vero de singulis societatibus specialius dicendum.

Caput I. De societate humana in genere.

Caput II. De societate domestica.

Caput III. De societate civili.

Caput IV. De societate internationali.

#### CAPUT I.

##### DE SOCIETATE HUMANA IN GENERE.

###### Propositio 114.

Omnis societatis humanae essentialia proprietates sunt : unitas finis, consensus mentium, concordia voluntatum, coordinatio mediorum, actionis efficacia.

**Notiones.** 1) Evidens est factum, hominem non solitarium in nostro mundo vagari, sed multos simul coexistere in terra homines. Non tamen

solum illud sine nexu consortium esset *societas*; sed haec est generatim : unio constans plurium entium intelligentium, circa bonum aliquod, qua commune, suis actibus conspirantium.

2) Explicatur praecedens definitio : a) *unio plurium* : ex sensu obvio, etiam vulgari, et communi, societas dicitur ex pluribus conjunctis unitatem aliquam.

b) *Constans*; nam congressio plurium transitoria, ad rem aliquam uno conatu perficiendam non nisi improprie societas dicitur.

c) *Entium intelligentium* : unio entium non intelligentium non esset nisi ratione spatii, v. c. frumenti in sacco, vel ratione similitudinis et simultaneitatis in agendo, v. c. arborum vere novo frondentium; a. talia nemo usu communi societatem dicit; e.

d) *Circa bonum, qua commune* : in hoc consistet necessario unitas inter plura intelligentia, quae sit vere aliqua unitas, non mera casu facta simultaneitas, quasi v. c. plures, sed pro se quisque, eidem rei student.

e) *Conspirantium* : ita ut activitates singulorum uniantur in unam activitatem collectivam.

**Stat. quaest.** 1) Quaeritur quae sit essentia societatis inter homines. Et respondemus duabus propositionibus, ita ut hac priore effectus et proprietates necessarias perpendamus, unde in posteriore ipsum principium seu naturam concludamus.

2) Respondemus de societate *humana*, nam quum generatim societas possit esse circa bonum commune conspiratio quaecumque; in futura vita poterit haec esse in perfecti boni perfecta possessione et mutua communicatione; in praesenti vero vita non nisi in boni conquisitione cum conatibus consistit.

**Prob.** Ex usu communi et aestimatione ordinaria hominum, in hoc differt societas a mera multitudine et consortio, quod in societate est aliqua unitas moralis plurium, qua certum aliquem finem communem, ut finem et ut communem, prosequantur activitate communi ut communi; a. haec omnia inveniri nequeunt sine propositis proprietatibus; e.

**Prob. min.** Essentialis perfectio societatis consistit in ejus aptitudine ad finem obtinendum; a. sine propositis proprietatibus, alii alium finem intendentes, alii alia media etiam opposita aestimantes esse oportuniora, parantes, et adhibentes, bonum nullum acquirerent efficaciter, sed se mutuo impedirent, vel omnes simul in actione languerent, ac proinde ad finem obtinendum inepta esset unio; e.

###### Propositio 115.

Societatis materia et forma metaphysica sunt multitudo et conspiratio in finem unum : materia et forma physica sunt subditi et auctoritas.

**Stat. quaest.** 1) Jam ex praecedente societatis analysi concludere volumus ad intimam essentiam ejus; idque sicut in aliis rebus, ita et hic, aptius efficitur si materiae et formae conceptus applicamus.